PROGRAMMA.

QVO

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENIS,

CHRISTOPH. MART. BURCHARD,

MED. D. & P. P. O. FACULTATIS SUÆ h. t. DECANUS,

IN NATALITIIS SACRIS, CHRISTUM

Corde amanter excipiendum,

CIVIBUS ACADEMICIS commendat.

ROSTOCHII,

Typis Jo. JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINC. & *ACAD.* Typogr.

88

MEmoriam Salvatoris Noſtri, ante XVII. Secul. nati, ut hodie celebremus, Cives Optimi, ac Dilectiſſimi, Pietas jubet, & gratitudo mentis poſtulat. Nobis præſertim Europæis hæc cura incumbit, tum temporis paganiſmo & Idololatriæ immerſis; Nobis enim, JAPHETI poſteris, imprimis ad Septentrionem vergentibus, potiſſimum illuxit hæc STELLA, quæ ex Familia *Jacobi* prælucere debebat iſtis, qui in obſcuro ſedebant, ab Eccleſia & Cœtu piorum, Veteris Teſtamenti, remoti. Reducenda etiam erat familia JAPHETI in ſinum Eccleſiæ, ut inhabitaret tectoriis SEMI. Advenerant lautiſſima iſta tempora, toties à Prophetis decantata, quæ deducere Hieroſolymam debebant, ex omnibus gentibus, ex omnibus lingvis, â fine terrarum, piorum innumeram multitudinem. Exſtirpati ſunt Judæi, qui quondam genuini Arboris erant ſurculi, & nos tanquam infœcundi in locum eorum Viti frugiferæ inſerti; Vitis autem ipſe Chriſtus eſt. Quo magis ſane, ad monitum D. Apoſtoli, cavendũ nobis eſt, ne tanquam inutiles pampini, denuo exputati, à Chriſto ſeparemur; Cum enim DEus non abſtinuerit vindictam in eos exercere, qui naturales ac genuini dicebantur ſurculi, ut eos penitus eradica-

ret,

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58700/631

ret, non minus ſevere animadvertet in peregrinos adventitios, ſi ad priſtinum genium, ad priſtinam infœcunditatem redierint. Certe non nimium tribuendum Miſericordiæ Divinæ, ſed ſimul juſtitia ipſius in oculis habenda. Quæ enim ex dilatione vindictæ ſæpe in nobis pronaſcitur ſecuritas, peſſundat plerumque eos, qui nimium ipſi indulgent. Terreant nos exempla aliorum; & attenta mente circumſpiciantur, quot Eccleſiæ, quondam per totum terrarum orbem celebratiſſimæ, maximeque Illuſtres Superſtitioni Mahumedanorum nunc inſervire cogantur? quot fidelium cœtus ſub eorum jugo gemant? aut Papalem experiantur tyrannidem, quoniam *Draconem* ſupplices venerari detrectant, & Imaginem hujus Beſtiæ, quam falſus Propheta, Loyolitarum ordo, fronti & pectori imprimere conatur, plus quam Heroico animo reſpuunt? facillimum ſane eſt Summo Numini, ut Lumen Verbi ſui ab oris noſtris migrare juſſum, aliis indulgeat, ac candelabrum, in aliam transferat regionem, quo quidem ipſo priſtinæ reducerentur tenebræ, & tanta verbi ſalvifici eſuria apud nos emergeret, quanta olim ex ejus ubertate nos ceperat ſatietas.

Ut itaque Feſti præſentis dignam recolamus memoriam, non ſufficit veſtimentorum exquiſito ornatu ædes ſacras frequentare, aut compoſito ad gravitatem vultu pietatem ſimulare; nec quæ hiſce diebus communiter inſtituuntur convivia, de animi gratitudine teſtantur, quam Salvatori noſtro ejusqne adventui debemus; potius impedimenta ſunt, quæ animum ad altiora tendentem revocant, ac remorantur; aut potius compedes ſunt, quæ nos captivos detinent, ne ex voluptatibus nos expedire in iſtam libertatem poſſimus, quam Salvator fi-

libus ſuis paravit. Hoc ergo agamus, Cives Dilectiſſimi, ut interiora Cordis noſtri exornentur, ut dignum Salvatori Hoſpitium præparemus, cui inhabitare poſſit. Purificemus Cor noſtrum, ab omnibus cupiditatibus, à quibus ſtimulatur, ut carnis noſtræ deſideriis, illecebris mundanis, aut Satanæ lenociniis indulgeamus. Difficile equidem eſt, hiſce obviam ire, & obicem ponere affectibus, qui carni noſtræ adblandiuntur; ſed eo major vis inferenda nobis ipſis; continuo luctandum, ne ſuccumbamus novis Cordis inſultibus. Non enim, quamdiu vivimus, eradicare nobis licet inteſtinum illud diſſidium, quod inter Spiritum & Carnem intercedit, adeoque virtus noſtra facile labaſcit, ac delaſſata expugnatur, niſi Chriſtus eam ſua gratia, ſua præſentia, ſuſtineat, ſuffulciat, erigat; niſi ille poſſibile reddat, quod nobis alias erat impoſſibile, id eſt, ut de pravitate carnis noſtræ, mundi voluptatibus, & mortis denique peſtilentia, victores, triumphum agamus. Non ergo expellendus Chriſtus ex Cordis noſtri Habitaculo, ſed ſancte aſſervandus & cuſtodiendus; qui enim eum amittit, omnia perdit, filius perditionis, & nunc & in æternum miſer. Nullum autem vinculum eſt, quo Chriſtum magis arcte nobis alligare, ac nos viciſſim Chriſto adſtringere poſſumus, quam intemerata Fide, ac non fucato Amore. Non poſſumus autem non odiſſe omnia, quæ animum noſtrum à Salvatore noſtro avertere apta ſunt, ſi ſincero eum Amore proſequimur. Non difficile autem eſt amare eum, qui nos primus amavit, imprimis ſi attento animo perpendamus beneficia innumera, maxima, quæ ex hoc Amore in nos redundarunt. Ita enim ipſum Os Veritatis loquitur: *Tantopere hunc Mundum dilexit DEUS, ut Filium ſuum Unigenitum daret, quo omnes, qui in eum*

cre-

credunt, non perirent ; ſed compotes redderentur beatitudinis æternæ. Quodnam autem majus documentum Amoris inexhauſti excogitari poterit, quam, quod ipſe DEUS cauſam noſtram ſuſceperit, & hoſtes ſuæ Majeſtatis, homines æternæ damnationis reos, à perditione vindicaret? quod in hunc finem humanam naturam induere voluerit, ut ipſe ſatisfaceret juſtitiæ ſuæ, quæ ſine ſatisfactione nobis indulgere, nobis ignoſcere non potuiſſet? Præterquam autem quod nos ab æterna morte liberavit Salvator noſter, hæredes quoque nos fecit Regni coelorum, ita ut in omnibus calamitatibus, ad Summum Numen, tanquam Patrem amantiſſimum, confugere nobis liceat, & omnes miſerias noſtras in ſinum ipſius effundere. Quomodo enim iſte quicquam denegare nobis poſſet, qui non dubitavit nobis largiri omnium quod potuit maximum? qui tanti non habuit filium ſuum, quin carne humana inveſtitum, vindictæ ſuæ exponeret, ut nos à reatu abſolveret, & filiorum inſtar haberet? Certe quisquis hæc pia mente meditatur, is non poteſt non largiſſimum in omnibus, quæ ipſum premunt, miſeriis experiri ſolatium, ut cum Divo Johanne in hæc verba erumpat: *Hæc eſt illa Fiducia*, παῤῥησία, *quam habemus erga eum: Quod ſi quid petierimus ſecundum voluntatem ipſius, audit nos. Et ſi ſcimus quod audit nos, ſcimus quod habemus petiones, quas poſtulavimus ab ipſo.* Superat hæc adoptio, qua liberorum inſtar nos ſuſcepit Summum Numen, omnes divitias, omnem Magnatum gloriam ac potentiam, quippe quæ ne quidem in hac vita ullam tranquillitatem conſcientiæ læſæ conciliare valent, multo minus ſufficiunt, ut in futurum nobis quicquam præſtent emolumenti: Contra vero, glorioſa illa hæreditas, quæ piis ac fidelibus manet, intrepidum in quibusvis pe-

riculis, temporumque, injuriis, animum ipſis inſpirat; *Nam temporaria hæc mala non comparanda ſunt cum infinita gloria, quæ nos in futurum exſpectat*, & infinitis bonis cumulabit eos, qui patienter in hac vita contemptum, ludibria, ac perſecutiones ſunt perpeſſi. Quid, ſi centum venenatæ linguæ in nos ſe armarent, & virus ſuum in noſtram perniciem effunderent, non tamen conſcientiam noſtram lædere, aut fiduciam, quam in æterna glorificatione ponimus, exſtinguere valent. Imo ſi ipſius vitæ jactura facienda ſit? Ipſum perire non eſt magnum quid iſti, qui futuram hæreditatem ſpe præcipit, & cum D. Apoſtolo exoptat, ex mortali corpore, tanquam ergaſtulo, exſolvi, & cum Chriſto conjungi.

Amemus ergo illum, qui nos primus amavit, & qui in hunc mundum pervenit, ut nos omnium bonorum, quæ captum noſtrum ſuperant, & quibus nunc ipſe fruitur, redderet participes. Non poſſumus hoc denegare Salvatori noſtro, niſi omnem humanitatem, omnem pudorem, ſimul exuere malumus. Nemo facile adeo inhumano animo præditus eſt, ut beneficia inſignia, ab amica manu accepta, ſi redhoſtire illa nequeat, ſaltem non agnoſcat? agnoſcere autem, ac ad animum revocare illa nequit, ut non amet iſtum, ex quo illa accepit; aut ſi adeo illiberali adeo belluino animo præditus ſit, ut non vereatur benefactorem ſuum odio proſequi, ſollicite tamen cavebit, ne ingratitudinis infamiam ſibi publice contrahat: qui enim hoc dedecus ſibi conflavit, is ſane Vitam ac fortunas ſuas maximo exponit periculo. Nullus enim adeo potens, adeo dives exiſtit, quin aliorum interdum indigeat ope, interceſſione, aut conſiliis; quis autem manus auxiliatrices

præſta-

præſtabit cuculo adeo ingrato, qui beneficia maleficiis compenſare conſvevit. Itaque nil magis Chriſtiano indignum, nil magis periculoſum, quam non agnoſcere prætioſiſſima Salvatoris noſtri merita, nec amare Fontem, ex quo omnis noſtra ſalus profluit. Vitam ſane & fortunas ſuas omnes certiſſimo exitio exponit, qui Chriſtum non amat; Hinc D. Apoſtolus fulmen illud in omnes contemptores hujus nominis jaculat: *Si quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema, Maran Atha.* Felix & æternum fortunatus, qui illud evitare ſtudet, & mature adſveſcit pio huic Amori, quippe qui ſolus reſtat ex omnibus virtutibus, ad ſupremas deferendus ſedes, æternumque duraturus. Non ſufficit autem, Cives Optimi, Dulciſſimi, Amorem hunc profiteri, ſed neceſſe eſt eum ipſo actu comprobare. Non vero diligit JEſum Chriſtum, qui proximum ſuum odio proſequitur. Ut itaque documenta exhibeatis ſinceri Amoris, neceſſe eſt, ut non tantum inter Vos ipſos mutua floreat concordia, ſed etiam ut neminem mortalium, etiamſi viliſſimus ſit, lædatis. Multo minus Vos decet, Vigiles, aliosque, quibus publica ſalus concreditur, nocturno tempore, vel injurioſis dictis laceſſere, vel armata manu aggredi. Præterquam enim quod ejusmodi actiones Chriſtiano indignæ ſunt, etiam iſtis, qui morum honeſtatem ac elegantiam profitentur, minus reſpondent. Quid enim honoris ex hac digladiatione, etiamſi victores diſcedatis, vobis exſpectandum? Quid contra dedecoris vos manet, quando capita cruenta, & tergora verberibus probe excepta, ex iſta pugna reportatis? vapulatis autẽ communiter; modo hæc felicitas vobis adhuc contingat, corpora afflicta domum reportare? quoties enim deprehenſi

henſi in carceris, ſub terra, ſqualore, temeritatem iſtam luere fuiſtis coacti? ex quo poſtero mane exitus non conceditur, niſi perſoluta prius V. Imperialium Summa, ut propterea & peculii jactura facienda ſit. Itaque cum toties non ſine comminatione vobis publice interdictum ſit, ne vos unquam lubido capiat, clamoribus, & armorum ſtrepitu, nocturnam turbare tranquillitatem; halcyonia autem iſta fruſtra à nobis exſpectentur, neceſſe eſt ut vos relinquamus irato veſtro genio. Nam pœnæ etiam ſine comminatione noſtra vos ſtatim inſequuntur, ut impune hic peccare rariſſime vobis liceat. Interim ſvadeo, moneoque, ut rationem tandem habeatis corporis ac peculii veſtri. Experiri non poteſtis truces vigilum manus, ſine ſanitatis periculo, ſine nummorum jactura: quorum omnium cura ſi vos non tangit, ſaltim famæ veſtræ rationem ut habeatis, rogo Vos, ac obteſtor.

Valete!

P. P. XXV. Dec. Anni CIↃ DCC XXVI.
Sub Sigillo Rectorali.